Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2275
Quelle:
Copyright:

damna Schismatis vivis coloribus expingit, contenditque Ecclesiam universalem deserta *Basilea*, *Ferraria*que in tertio quopiam loco cogendam, procurato ad hoc tam *Eugenii*, quam *Felicis* consensu. Init ille: *Quia iuxta sapientis consilium ecclesiastici XXXVIII. cap. scribenda est sapientia in tempore vacuitatis* &c. et mox mentem suam aperit: *nulla via videtur securior planior compendiosior et ad plenam vnionem efficiendam et stabiliter continuandam efficacior, quam debita ad cautelam instantia pro translatione Basiliensis Concilij ad alium locum tertium merito ambobus contendentibus gratum, conformem decretis patrum, Regibus et principibus tam spiritualibus quam secularibus pro ipsorum aut suorum congregatione aptum et ydoneum* &c. Multa in his *Avisamentis*, ut mox sub principium etiam adpellat Autor ipse, sacrae Antiquitatis et Canonum peritia, multus rerum et locorum usus, ut adeo in quadam *Rerum Conciliarium Basiliensium* Collectione jure optimo compararent. Post *Considerationes* solvit *Haselbachius* ea, quae obmoveri possent, et finit: *vnde ordinationem parui decreti ipsemet Eugenius demonstratur violasse*. Parvum istud Decretum agens de remissione *Graecorum Basilea* in patriam, datumque *Non. Maj.* 1437. nostro Scripto insertum est, a me vero in Actis Concilii haud repertum. Porro Scriptum ipsum αὐτογραφον, et ob multa in margine addita primae meditationis esse videtur.

II. *fol.* 29. כִּיזוּב חִידוּף וְגִידוּף הַיְּהוּדִים הָרַעִים וְהַחַטָּאִים Id est: *Mendacia, contumeliae et calumniae Judaeorum impiorum et peccatorum*. Sequitur Praeloquium in blasphemum Libellum, cui titulus: סֵפֶר תּוֹלְדוֹת יֵשׁוּ הַנּוֹצְרִי יִמַּח שְׁמוֹ וְזִכְרוֹ Id est: *Liber Generationis Jesu Nazareni, cujus nomenet memoria deleatur*. Post Libellum habentur Rhythmi quidam hebraici ejusdem furfuris, et demum Refutatio Libelli imperfecta. Jam dicendum de singulis. Praeloquium ita orditur: *Multa multis retroactis annorum decursibus sollicitudine anxius mirari et supermirari cepi, cur miserabilis Judeorum populus in sua contra scripturas suas sic permaneat cecitate obduratus — Et licet sparsim colligerem ex eorum cartulis et ex quorundam musitacionibus intelligerem tacitus, quendam fore codicellum, quem multa diligentia studendo reuoluunt, in quo suos paruulos pene a Cunabulis imbuunt, ac ipsa sacerrima Natiuitatis domini saluatoris nostri nocte pariter ac die multis vicibus blasphemias inibi contentas in publico conuentu multa cum attentione recitare disponunt* &c. Et sic ad Libellum delabitur, quem *omni falsitate mendatio pariter et contradictionibus apertis plenissimum* ait se, ut potuit, *coadiuvante quodam Hebreo fidelissimo fere de verbo ad verbum in latinam lingwam rustico stilo* convertisse &c. En igitur ipsum Libellum a Satana,